

de la Signatura Apostolica de 27 de noviembre de 2012

PROT. N. 46165/11 CA
SUPPRESSIONIS PAROECIAE
(REV. N. – CONGREGATIO PRO CLERICIS)

SENTENTIA DEFINITIVA IN NOMINE DOMINI. AMEN

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno VIII, die 27 novembris 2012, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, *Praefecto*, Antonio Maria Card. Rouco Varela, *Ponente*, Velasio Card. De Paolis, Leonardo Card. Sandri et Iosepho Card. Versaldi, intervenientibus Cl.mo Tobia Krogner-Kornalik, upote Patrono Rev.di Recurrentis, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Auctoritatis ecclesiasticae, atque Rev.mo Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, in causa de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

1. Decreto die 8 februario 2011 lato, Ordinarius paroeciam X suppressit per unionem extinctivam cum paroecia Y, cum effectum a die 30 iunii 2011 habendo. Ab hac die territorium paroeciae suppressae tribuitur proximae paroeciae Y.

Rev.dus N., Administrator paroecialis paroeciae X, die 28 februarii 2011 praefati decreti revocationem ab Archiepiscopo frustra petiit atque die 6 aprilis 2011 recursum hierarchicum apud Congregationem pro Clericis proposuit, quae decreto diei 5 novembris 2011 recursum reiecit ac decisionem impugnatam confirmavit.

2. Provocavit inde Rev.dus Administrator paroecialis ad H.S.T., quod in Congressu die 26 iunii 2012 habito recursum ad disceptationem admisit atque die 2 iulii 2012 formulam dubii statuit insequentem: «*An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem a Congregatione pro Clericis die 5 novembris 2011 latam*».

Summario confecto ac memorialibus pro Rev.do Recurrente et pro Auctoritate ecclesiastica praebitis, Rev.mus Promotor Iustitiae votum pro rei veritate die 13 septembris 2012 exaravit, respondente dein utroque Patrono.

Nunc Nostri est dubio proposito responsionem iudicalem proferre.

IN IURE ET IN FACTO

3. In primis efferendum est in casu obiectum recursus tantum circa paroeciae suppressionem vertere.

De legis violatione in procedendo

4. Prior legis violatio assumitur ex motivorum carentia, qua decretum Ordinarii laboraret.

At, uti Rev.mus Promotor Iustitiae recte animadvertit, argumentum adductum ruit, quia Congregatio pro Clericis praescriptum can. 1739 explicite invocavit, quod Superiori hierarchico facultatem tribuit actum impugnatum corrigendi. Nam ex contextu satis clare apparet quod, praetermissis quibusdam locutionibus minus accuratis, Congregatio decretum Ordinarii correxit, motiva supplendo quibus id carebat. Quam ob rem dubitari nequit hac in re de legitimitate in procedendo.

5. Altera legis violatio assumitur ex inaudito consilio presbyterali, et hoc contra can. 515, § 2 praescriptum.

Auditio consilii presbyteralis regitur praescripto can. 127, iuxta quod Superiori necessitas incumbit collegium seu coetum convocandi atque consilium personarum exquirendi. Actus potestatis seu regiminis est ac manet actus Superioris, qui nulla obligatione tenetur accedendi ad earundem votum, at tamen ad consilium audiendum atque aestimandum tenetur, immo, iuxta praescriptum praecitati canonis, «sine praevaletenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim concordi, ne discedat». Actus proinde est potestatis ac regiminis Episcopi dioecesani, praeviae auditioni subordinatus; a cuius

voto idem Episcopus dioecesanus discedere potest si, consilio rite aestimato, praevalentes conscientiae rationes ad rem teneat. Et enim «le droit du supérieur de ne pas suivre l'avis... n'est pas un droit arbitraire, ni du pur formalisme. Le supérieur a le devoir légal d'écouter», non pas de façon purement matérielle» (F. J. Urrutia, *Les normes générales*, Paris 1994, n. 703, pp. 208-209).

Rev.mus Promotor Iustitiae atque Cl.mus Patronus Rev.di Recurrentis auditionem consilii presbyteralis rite haud evenisse censent quia tenent Ordinarium iam ante eiusdem consilii sessionem decisionem definitivam sumpsisse. Quod constaret sive ex epistula communitati paroeciali publice legenda missa, qua publici iuris fiebat decisio paroeciam supprimendi, sive ex locutionibus ab eodem Ordinario in sessione consilii presbyteralis adhibitibus, quibus manifestabatur decisio iam sumpta utpote necessaria.

Quae opinio concinit cum nostri Supremi Tribunalis concordii iurisprudentia: «Archiepiscopus, antequam presbyterale Consilium suam edixisset sententiam, iam decisionem supprimendi paroeciam sumpserat... Ex relatione officiali... apparet in casu votum consultivum Consilii petitum non esse» (sententia definitiva, Suppressionis paroeciae, coram Fagiolo, diei 20 ianuarii 1992, n. 8, prot. n. 22036/90 CA); «Elementum essenziale, quod proprium est normae can. 515 § 2, stat in expetendo consilio antequam decisionem suppressendae paroeciae Episcopus efficiat aliisque communicet» (sententia definitiva, Suppressionis paroeciae, coram Fagiolo, diei 16 ianuarii 1993, n. 19, prot. n. 21883/90 CA).

Satis patet proinde in casu auditionem consilii presbyteralis de qua in can. 515, § 2 rite peractam defuisse ac proinde Congregationem pro Clericis per actus Ordinarii confirmationem legem in procedendo violavisse in casu.

[Omissis]

CONCLUSIO

8. Omnibus in iure et in facto aequae rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, proposito dubio respondendum esse decreverunt atque facto respondent:

«*AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in procedendo relate ad decisionem a Congregatione pro Clericis die 5 novembris 2011 latam;*

NEGATIVE, seu non constare de violatione legis in decernendo relate ad decisionem a Congregatione pro Clericis die 5 novembris 2011 latam».

Ex cautione in arca H.S.T. deposita parti recurrenti restituatur summa 1.000 Euro. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 novembris 2012.

(Signati)

Raimundus Leo CARD. BURKE, *Praefectus*
Antonius Maria CARD. ROUCO VARELA, *Ponens*
Velasius CARD. DE PAOLIS
Leonardus CARD. SANDRI
Iosephus CARD. VERSALDI

Et notificetur

Die 28 ianuarii 2013

+ Franciscus DANEELS, O.PRAEM.
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G.
Moderator Cancellariae